BLASIVS · STVLLIVS

RAGVSINVS

IN · HONOREM

LVCAE · STVLLII · FRATRIS · SVI

DE · SE · OPTIME · MERITI

HAEC · EIVS · DOCTRINAE

ET · IN · INVESTIGANDIS · REBVS · NATVRALIBVS · SOLLERTIAE

NON · VNA · DOCVMENTA

DE · PESTE

AC · DE · ACVTA · ET · EXITIALIS · GENERIS · FEBRI

COMMENTARIA

MEDICIS · VSVI · ET · COMMODO

LATINE · SCIENTIBVS · VOLVPTATI

AMICIS · ET · SIBI · CONSOLATIONI · FVTVRA

TYPIS · ELEGANTIBVS

NE · QVID · VEL · EXTRINSECVS

EGREGIO · OPERI · DESIT · ORNAMENTI

EDENDA · CVRAVIT

DE PESTE

QUAE IN EXITU ANNI MDCCCXV

IN CIRCULUM RAGUSINUM

IRREPSERAT.



LUCAS STULLIUS medicus Ragusii natus est VIIII · Kal. Oct. an. MDCCLXXII · Litterarum tirocinio domi exacto, Bononiam navigavit, ubi doctoribus usus Uttinio, Mondinio, et Galvanio philosophiae et medicinae lauream praeclaro laudis testimonio quum tulisset, omnium sibi amorem existimationemque conciliavit. Celeberrimis dein Italiae urbibus inspectis, ad suos reversus anno MDCCLXXXXVIIII · quam de se moverat expectationem, eam longe plurimum superavit. Ad artem salutarem publice faciendam evocatus, civium suorum valetudinis custos et vindex omnium consultissimus habitus est. Iennerianam vaccinarum pusularum insitionem summo studio adseruit, eamque haud levibus etiam impensis provexit. Rerum insuper naturalium cognitione mirifice delectatus est, et optimis aetatis nostrae poetis haud impar carmina reliquit nonnulla partim latino partim vernaculo sermone exarata, dulcia omnia et naturali quodam nitore exculta. Fuit autem elegantis ingenii vir, pius, modestus, urbani in jocando leporis, morumque suavissimorum. Apoplexi inter dormiendum a prandio oppressus decessit prid. id. Sept. An. MDCCCXXVIII · complorantibus civibus exterisque.

Michaël Ferruccius.

Facies non omnibus una
Nec diversa tamen qualem decet esse Sororum.

Tam fera, tam deletrix Pestilentiae, de qua agitur, est indoles, ut in humanae Societatis annalibus nullam usquam saeviorem extitisse inveniam. Haec limitrophum Sancti Sabae Ducatum, in quo quinque ab hinc annis grassatur, habitatoribus pene vacuum reliquit, eamdem nostrae vastitatem Provinciae procul dubio inductura, nisi vis consilii ei obviam facta adhuc pubescentem oppressisset.

Hujusce pestis miasma incredibili pollere activitate, et quam citissime diffundi a quibusdam infectionis exemplis apprime constat: haec nulli parcit aetati: plerumque perimit per nichthemerum: major victimarum pars nondum elapsa tertia die moritur: vix quisquam septimam attingit: qui nonam salutant, in portu sunt, abeuntibus in suppurationem bubonibus, quibus eo modo constitutis, non esse amplius de recuperanda valetudine ambigendum, re est demonstratum: hi tamen sunt rarissimi; quippe inter centum

quatuor, qui Ragusino in Circulo peste aegrotarunt, quatuor tantum morbo superfuere, naturae non Medicinae adjumento.

Caeterum symptomata, quae morbum praecedunt, comitanturque, ut sunt diversa temperamenta, variaeque conditiones, quibus humanae machinae obnoxiae/sunt, sic inter se differunt. Sunt qui jurejurando asserentes se bene habere, repente acutissimo paroxismo corripiuntur, qui in mortem resolvitur; in quibusdam extemporanea quaedam et insaniae proxima alacritas jam receptum nunciat contagium: sed cito animale systema veneno edomitum conteritur, vis vitae languescit, et virium prostratio, pallor papyraceus, crebra suspiria et penita animi dejectio insolescentem excipiunt laetitiam, extremamque lethalis morbi periodum instare portendunt. Alii phrenetici debacchantur, propriumque hujusce status vigorem praeseferunt; alii debiles et comatosi tranquille delirant; sunt etiam, qui pridie diei, quo e vita excedant, tam leviter aegrotare videntur, ut, etiamsi aliqua in corporis parte bubo apparuerit, placide dormiant, cibis indulgeant, e domo prorepant, necnon domesticis vacent officiis.

Vomitus, qui unum ex pathognomonicis pestis signis habetur, in maxima victimarum parte desideratur.

Nasi haemorrhagia nunquam deest aut vigente morbo, aut post mortem.

Omnes, nemine excepto, de cephalalgia conqueruntur, non omnes eadem doloris vi affecti.

In cadaveribus cernere est petechias, phlyctaenas, vibices, anthraces, bubones; nunc unum ex hisce signis, nunc plura.

Nunquam bubonem compertum scio in cadaveribus eorum, qui viginti quatuor horarum spatio decessere. Nunquam ex recensitis pestilentiae signis desideratur aliquod in iis, quorum aegritudo ultra dictum tempus processit. Sunt et cadavera, in quibus nulla hujus generis indicia conspiciantur, quod plerumque evenire solet in iis, qui primi suos inter morbo corripiuntur.

Artuum flexibilitas, quam pestis characteristicam esse sanxerat hominum opinio, saepe deest. Quod si cadavera nec flexibilia, nec ullis externis notata maculis saepe numero esse solent, quam parum eorumdem autopsiae fidendum erit, quum de mor-

bi genere sententia ferenda fuerit, luculenter patet!

Si Medicorum scripta percurramus, passim nobis erit observandum peste affectos saepe post nonum a morbi initio diem, interdum post quartum decimum, aliquando post vigesimum et non raro etiam post quadragesimum vitam amisisse. Nemo autem ex iis, qui nostro in Circulo peste laborantes interierunt, octavum attigit diem.

Constat ex Medicorum observationibus variis in regionibus diversisque temporibus institutis, nonnullas ex pestilentialibus constitutionibus magis in fortes, quam in debiles; nonnullas acrius in mares, quam in foeminas; alias vero potius in senes, quam in juvenes impetum fecisse. Constitutio, de qua agitur, aequo modo et fortes, et debiles, et mares, et foeminas, et senes, et juvenes invasit; nisi pueros exceperis, in quos quam maxime saeviit; quamvis antiquissima experientia constet teneram aetatem, minus quam alias, pesti obnoxiam esse solere; quod est etiam inauditae immanitati hujus constitutionis adscribendum.

Operae pretium erat ab iis, qui a peste

incolumes evasere, sciscitari, quibus internis mentis, et corporis moverentur affectionibus, quidve mali sentirent, dum morbo detinebantur: interrogati num praecessissent terrores insoliti sine causa manifesta, animi dejectio, de propriis rebus desperatio, vel phantasmatum apparitiones; num absentium voces exaudire, vel scintillas oculis objectas, aut cinerem e coelo instar pluviae defluentem cernere visi fuissent, (haec enim, et plura alia hujus generis peste affectos vexare solent) nihil praeter notabilem lassitudinem, crebras pandiculationes, et moderatum capitis dolorem expertos fuisse affirmaverunt; ita ut, juxta Hippocratis effatum, *illa horrenda magis, quam mala* fuisse dici possit: qua de causa praeteriti oblitos credidissem, nisi et ipsimet, et qui aegrotantibus adstiterant, constanter sui compotes fuisse affirmavissent. Qui tamen hoc innixus argumento pestem non tam luctuosum, et immanem esse morbum sustineret, summo in errore versaretur, quum potius putandum sit in iis, qui per bubonum suppurationem in pristinam salutem restituti fuerunt (nemo aliter convaluit) morbosam affectionem so-

lito mitiorem, ideoque non lethalem extitisse; quod quotidiana nobis patet experientia, utpote qui plerosque malignae indolis morbos in his gravem, gravissimam in illis, levem in aliis, quin a characteristica recedant forma, aegritudinem inducere videmus; talis est praecipue Scarlatinae, Morbillorum, Variolarum natura, quum epidemice vagantur. Eos certe qui peste pereunt, miras inter animi angustias spiritum exhalare credendum est, quod et ex symptomatum vehementia, et ex aegrotantium querelis non argui solum, sed vere dignosci potest, illis exceptis casibus, in quibus commune sensorium adeo est perturbatum, ut nihil praeter naturales machinae motus percipere queat.

Nicolaus Pipliza Rhataneae Peninsulae incola, qui primus in pestem incidit, octavo Id. Novembris ex vita migravit. Quamvis tuto autumari non possit eodem momento, quo pestilentialis febris humano in corpore exoritur, illud etiam ignotum gigni principium, in quo contagio latet, haud tamen est dubitandum id in morbi progressu usuvenire; qua propter illos, qui Pipliza familiariter usi erant, jam ante octavum Id. Novembris,

quo obiit, contagioso miasmate infectos fuisse nemo inficiabitur: nihilominus plures eadem in domo versabantur; vicini et affines, nihil sibi timentes, saepius aegrotantem convenerant; immo etiam a plerisque ejus cadaver, nulla adhibita restrictione, contrectatum fuit: nemo certe ante octavum ab ejus morte diem aegrotare coepit.

Post secundum vero ex iis, qui peste correpti fuerunt, contagio quaquaversus rapide percrebuit, et brevi interposito intervallo plerique morbo affecti sunt: eadem phaenomena aliis in Ragusini Circuli locis observata fuerunt; quae absque dubio non casui, sed peculiari hujus pestilentialis constitutionis indoli tribuenda sunt. Et revera.

Clara Delalìa (in pago Cepicuchie) tertio Kal. Decembris 1815. peste perempta fuit: altera ejusdem generis mors quinto Id. Decembris consequuta est.

Catharina Matkova (in pago Slano) tertio Id. Januarii 1816. supremum diem obiit; Maria Tiquiza, quae ejus cadaveri extrema persolverat, vix undecimo Kal. Feb. immani morbo correpta fuit.

Nicolaus Marinovich (in pago Sollile Bre-

ni) qui primus suos inter contagione adortus fuit, pridie Id. Decembris e vita decessit; septimo Kal. Januar. ejus Frater in morbum incidit.

Domi Thomae Petruscich (in pago Martinovichi Breni) biduo tres puellae peste oppetiverunt, quarum postrema sexto Id. Januar. 1816. Haec familia ex quatuordecim personis constabat. Thomas Petruscich nonnisi duodecimo Kal. Feb. in adversam valetudinem delapsus est.

Ex praemissis luculenter eruitur in singulis hujus Circuli locis contagium tardo pede ab initio processisse, et postea, quasi majores in dies acquisivisset vires, celerius vehementiusque debacchatum fuisse.

Sex cadavera eorum, qui in peninsula Rhatanaea post Piplizam supremum obiere diem, nullum, praeter petechias, pestilentiale signum praesetulere; quae pari modo in secundo, tertio, et quarto eorum, qui in pago Cepicuchie aegrotaverant, apparuerunt. Non vero petechiae in iis, qui in pago Sollile Plat, et Martinovichi post primos contagione tacti fuerunt, sed bubones succreverunt.

Quoad infectionis phaenomena, notatu digna censemus quae sequuntur.

In pago Martinovichi apud Georgium Scesto unum ex pueris peste mortuum nemo alius sequutus est.

Catharina Luhscina (ejusdem pagi) redux e domo Thomae Petruscich, cui enema apposuerat, mortalem gemellis filiabus pestem attulit, quin ipsa infectionem passa sit. In pago Kelesi, domi Martini Keles, quatuor pueri peste demessi fuerunt; mater vero praegnans, et anicula quaedam, quae apud illam diversabatur, quamvis pueros et vivos ulnis foverent et extinctos tumularent, incolumes perstitere. In pago Slano post Catharinae Matkova mortem duo juvenes eadem tunc in domo degentes adhuc vivunt. Dicto in pago Petro de Sorgo Uxor, et geminae Natae usque ad ultimum vitae diem adstitere, non aliter ac si innoxio morbo laboravisset; tanta pietas nihil detrimenti caepit. (1)

---

(1) Ne tibi de iis, quae hic observanda proponúntur, aliquod dubium oboriatur, scias, amice Lector, Auctorem in numero esse VI. Virûm Valetudini tuendae Ragusii praefectorum.

Haec exempla clare demonstrant (quod notum vel illis, qui Medicinam a limine salutaverunt) humanum corpus cujuscumque generis contagium contrahere non posse, nisi ad id suscipiendum fuerit antea dispositum.

Caeteros morbos ea tempestate, qua Pestis aliqua in regione invaluit, exulare, et antiquioribus observare pronum fuit: non aliter nostro in Circulo evenit.

Supervacaneum foret in hujusmodi phoenomenorum diversitatum causis investigandis immorari, quae adhuc penita nocte obductae fortasse olim per feliciorum experientiam innotescent. Id unum affirmari potest has miras, et perquam variabiles modificationes uni tantum pesti convenire, qua nihil est mutabilius: unde fit, ut qui per ejus symptomatum recensionem eam graphice describere aggreditur nil, nisi tetris undique conlectis imaginibus, luridam nescio quam phantasmatum congeriem depingere in animo habuisse videatur. Qui pestem semel una in regione, et una tantum sub constitutione observaverit, alias vix illam pestem esse suspicabitur: adeo diversis atque in-

ter se discrepantibus formis induta incedere solet.

Non abs re erit, antequam finem dicendi faciam, hoc etiam addere, quod nunquam in finitima Turcica Provincia, prout ejus incolae asserunt, major foeminarum uterum gerentium numerus extitit, quam peste vigente; quo quidem tempore illae ipsae, de quarum foecunditate, impendente propter aetatem cathaemeniorum termino, quasi fuerat desperatum, humani generis propagationi consuluisse visae sunt: cujus porro insolitae foecunditatis exemplum alias quoque in pestilentialibus constitutionibus observatum fuit.

Fortasse quaeret aliquis num haec pestilentialis constitutio quid dederit argumenti, unde patuerit, sintne, an non cadavera omni prorsus calorico destituta ad contagionem sanis inferendam idonea. Quamvis tanti periculi faciendi magnum mihi esset desiderium, tamen quum necesse fuisset repetitis vicibus sanos inter et cadavera cunctis expoliata vestibus, et a quolibet corpore miasmate polluto semota, contactus instituere, quod perquam difficile fuisset, nunquam res

ex voto cessit: utinam nunquam imposterum occasio, qua tanta lis dirimatur, se se offerat!

Hîc considerari debet pestem hanc ad hasce Provincias, quae suo malo fato Turcico adjacent Imperio, sub finem anni 1813. appropinquavisse. Nec certe credendum est toto integri anni spatio nulla nostrates inter, et Turcas clandestina commercia extitisse: attamen morbus in nostros fines non irrepsit nisi anno 1815; quo quidem tempore pluribus in locis Slavoniae, Croatiae, Dalmatiae exortus conflagravit. Cuinam causae, quaeso, res haec erit tribuenda? Neminem latet humana corpora contagioni obnoxia non reddi, quin ad illam suscipiendam sint disposita; quae dispositio nisi per Atmosphaeram, nescio quibus specialibus conditionibus subjectam, adquiri certe non potest. Nihil frequentius, quam Bosniacae Provinciae commercium cum Urbe Thessalonicensi, ubi pestis pene nunquam desinit; inde infectae merces, et eae quidem, quae ad vehendum miasma quam maxime aptae aestimantur, per totam dictam Provinciam, et per Ducatum s. Sabae, quin illae conta-

gionem contrahant, libere diffunduntur, vaganturque. Exactis tandem tribus, quinque, septem, vel novem annis, hujusmodi merces, quae ad illam usque diem innoxiae perstiterant, pestem adducunt: ferox morbus exoritur; quaquaversus vulgatur; ingentes strages ciet, quin quidquam vel ad ejus furorem compescendum vel ad germen extinguendum in promptu sit: post statam interim temporis periodum nunc pedetentim, nunc de repente vanescit; merces, quae pridie infectae erant et ad miasma humanis corporibus inferendum quam maxime idoneae, absque ullo periculo contrectantur: aedes non expiatae denuo incoluntur: nemo amplius de pestis reditu timet. Haec phaenomena, quae in praedictis provinciis observantur, singulis regionibus, nulla excepta, quas pestis aggredi solet, communia sunt; quod quidem nisi a repentina quadam vel miasmatis, quod mercibus inhaeret, vel humani corporis, vel utrorumque immutatione, quae ob quamdam subitam atmosphaerae perturbationem usuveniat, profecto aliunde repetere nescirem. Hanc ipsam fortasse ob causam sub pestis imperio caeteri mor-

bi, qui vel sporadice vel epidemice vagari solent, prorsus (ut jam dixi) dissipantur, et nonnumquam etiam, si qui supererint, vigentis pestilentialis constitutionis characteres induunt, quod post Hippocratem neoterici quoque memoriae prodiderunt. Jamdiu a Bosniensibus accepi insuetas quasdam, quae in tempore oboriuntur, caligines sibi semper mali ominis fuisse, veluti pestis praenuncias; interdum mehercule, quum de phaenomenibus agitur, quae sub oculos cadunt nihil absurdi praeseferentia, et crassioris minervae viris fides habenda est.

DE PESTE BOVINA.

Hactenus, quae de peste bubonica memoratu digna existimavi. Restat, ut hîc aliquid addam de alia morbi specie, quem Turcae pestis bubonicae, quasi in ejus locum subire, ejusque partes agere consueverit, appendicem appellant; qui re quidem vera hominibus aeque, ac brutis animantibus formidolosus, communisque inter peracutos numeratur, et plura praesefert symptomata, quae illum a peste bubonica, sive Orientali

mutuatum esse diceres. Talis est pestis, quae graece Anthrax, latine Carbunculus, Illyrice Vried, sive Sliich vocatur. Qui non vidit hunc morbum, hanc descriptionem in pretio habebit, aut non inutilem existimabit; namque ea perpensa, sibi cavere, et bovinam ab humana peste discernere facile poterit.

Haec Pestis precipue Boum, Mulorum, Equorum, Pecudum, Caprarum propria esse videtur. Illa, quin a miasmate aliunde allato semper dependeat, ab internis etiam causis generari potest; quod plerumque hujus speciei animantibus accidere videmus, qui in praesepibus, excrementis, aut vegetabili materia corrupta redundantibus, humidis, nec satis vento perviis stabulantur; iisque in primis, caeteris torosiores, pinguioresque sub aestivo sole nimio labore defatigantur. Contracto morbo, utcumque hoc eveniat, tristes fiunt; anorexia laborant; pigrescunt; lente, et veluti temulenti incedunt; vehementer febricitant; in collo, in gutture, in inguinibus, vel alio in loco (potest enim quacumque in corporis parte erumpere) ovi columbini magnitudinis, atro candens rubore, si in parte membrorum pilis destituta appareat, tumor

halationes duxerint, vel quocumque modo cum cadaveribus in contactum venerint, illico morbum contrahunt. Tabanos, qui cadaveribus insident, ad contagium inferendum aptos esse rustici dicere non dubitant; quod si verum est, id non nisi haustae per aculeos morbosae materiae inoculatione fieri posse arbitrandum. Hinc fit, ut animalia, de quorum recuperanda valetudine desperatum est, antequam vivere desinant, tumulari consueverint.

Aliquando, vel nulla externa causa existente, morbus hic in homine exoritur. Bis illum a vehementioribus animi pathematibus excitatum vidi. Frequentius a brutis animantibus in humanam speciem transit. Aeger immani febrili paroxismo corripitur: paucis post horis pustula quaedam ciceris molem aequans erumpit, quae, tametsi nulla corporis pars eam non admittit, plerumque aliquem ex articulis obsidet. Vertigo, et vomitus in promptu sunt: pustula, quae furunculi basim, si tactu exploretur, praesefert, exactis duabus, vel tribus horis nigrescit, et caerulea quadam zona, quae eo minus fusca est, quo magis a centro distat, obducitur. Nisi aegro-

to sollicite suppetiae ferantur, ante duodecim horas anthrax ovi gallinacei magnitudinem plerumque acquirit, et supradicta fascia, eadem servata coloris varietate, ita dilatatur, ut si pars, cui inhaeret, sinat, sex digitorum transversorum diametrum obtineat: vibices apparent in partibus vicinis, quae in anthracem, veluti in centrum, decurrunt. Aeger sopore obruitur, ejusque corpus universali emphysemate citissime, atque, ut ita dicam, ictu oculi tumescit: iterum praesto est vomitus bilis porraceae faetidissimae, membra frigent, pars affecta sphacelo, dissolvitur morsque supervenit numquam tardior nichthemero.

Num quid in hominum corporibus hac peste peremptorum observatum fuerit, ignorare fateor: hoc scio, nullum ex iis apud nostrates dissectum fuisse, quum ea eadem methodo, qua et illa, quae peste bubonica laboraverunt, humari soleant. Quod reliquum est, rarissime hominum vitae iis de causis timendum erit, dummodo citissime Ars illis opituletur. Eadem quae bestiis, et humanae speciei prosunt remedia. Statim ac igitur de hujus morbi diagnosi statutum fuerit, non

adhuc pustula livere incipiente, oportet illam incidere, quae continet, exprimere, et tandem actuali cauterio tentare, atque ubi vulnus suppurare caeperit, aegrotos alexipharmacis tractare; nihil multo aquae usu deterius in hoc morbo esse potest; curatio fere nunquam ultra decem aut duodecim dies protrahitur.

Humana species a simplici bestiarum anthrace laborantium contactu pestem non contrahit, quod ne tunc quidem evenit, quum illis medetur, dummodo nullam in manibus continuitatis solutionem habeat, nec idoneum morbosae materiae insitioni tempus concedat; quae praecautiones observantur vel quum in humano vulnere pertractando immoramur. Post mortem tamen quaecumque ad ea attinent animalia, contagiosa sunt. Morbus acquiritur diuturniori cadaverum contactu, et praesertim eorum attrectatu, quod lanariis et lanionibus usuvenit, quotiescumque lanarum et pellium pretio illecti ea deglubunt. Tam vero universalis, tam longe, lateque et apud nostrates et apud Turcas invaluit opinio esu carnium bestiarum peste defunctarum eumdem contrahi posse morbum, ut qui hac de

re dubitant, de meridiana luce dubitare dicantur. Sunt et qui omnibus earum corporis partibus tam tenaciter contagium inhaerere putent, ut vel per calceamenta e corio, in sole diu, ut siccescat, exposito, confecta, quae nudis pedibus indui solent, acciri posse pro certo habeant: quin etiam ossa ipsa, quamvis post plures menses e terra effossa fuerint, exitialia sanis vulgo existimantur.

Ex praedictis constat I. pestem bovinam in hominem a bestiis, et ab homine in alium transire: II. eadem methodo in utraque specie curari: III. raro esse lethalem, si Ars ei sollicite occurrat: IV. simplici contactu inter viventes non contrahi: V. probabiliter per esum carnium morbosarum acquiri: VI. per excrementorum exhalationes, et cadaverum protractam contrectationem vel dissectionem in sanos diffundi, quod de peste bubonica adhuc pro certo affirmari non potest. (2)

---

(2) Hanc bovinae pestis descriptionem, jam italico sermone exaratam, eximio honore dignatus est Doctissimus Vir Eusebius Vallius, utpote qui illam praeclaro suo Operi de peste Costantinopolitana anni 1803. insertam publici juris fecit Mantuae anno 1805.

DE

FEBRE SCARLATINA

QUAE RAGUSII VISA FUIT

ANNO MDCCCXXIII.

BREVIS MONOGRAPHIA

Quamvis jucundum sit magna in Metropoli aetatem agere, ubi est splendor Aulae, et Procerum luxus, et civium frequentia, et mira artium monumenta, aliarumque commoditatum quamplurium copia, quae ad bene beateque vivendum vulgo conferre censentur; attamen regio illa, quae hisce rebus magna ex parte carens miti aëris temperie et saluberrima constitutione gaudet, ita ut morbi vel nunquam epidemice grassentur, vel si aliquando irruant, nullius momenti sint et cito evanescant, magno mehercle in pretio haberi debet, ac si omni omnium deliciarum genere cum amplissimis atque florentissimis urbibus contenderet. Haec dum animo reputo, Rhagusio nihil esse quod praestantioribus civitatibus invideat animadverto.

Et revera Variolae ipsae, acerrimum aegrotationis genus, penes nos olim levissimae evadebant: sed de hac peste jam nullus

sermo, postquam illam ab anno MDCCCIII. per Vaccinae invectionem a nostratibus prohibui. Saepe et Morbilli et Parotides et Sudamina et Pertussis et affectiones catarrhales per nostram ditionem excurrentes, quin Medico indigerent, in salutem desinebant: vix duos longo temporis intervallo a morbillis praereptos vidi, qui incaute se frigidiori vento objecerant.

Febris Scarlatinae, illius nempe ferocissimi atque admodum subdoli morbi fama apud Ragusinos interciderat, quum ab anno MDCCLXXVIII. illis visa non fuisset. Nec unus illius aetatis Medicus, qui de illa referat, superest, nihilominus e narrationibus nonnullorum, qui tunc temporis eam domi habuere, quique adhuc vivunt, benignam fuisse eruitur. Anteactis vigintiquinque annis, ex quo Medicinam in Patria exerceo, nihil novi accidit, quod de hoc morbo in schedas referrem. Sed ut Terraemotus, sic morbi quidem serius ocius omnes terrarum Orbis plagas pertingunt, nec si qua est quae ob diuturnitatem immunitatis se per omne aevum in tuto futuram esse confidit, quicquam habet, quo minus imposterum sibi vereri non debeat.

Febris Scarlatina ea Dalmatiae parte, quae olim Venetae ditionis erat, peragrata, in nostri Circuli fines irruperat; nec Ragusium se contulit, antequam per aliquot menses in Peninsula Rathanaea immorata fuisset. Tandem in exitu anni MDCCCXXII. media in Urbe, atque ea in familia exorta est, in qua, cunctis rite perpensis, de contage extrinsecus advecta nulla suspicio esse poterat.

Sed non abs re erit, quo facilius per exanthemata exentialia ad Scarlatinam pateat sermoni via, nonnulla de Epidemiis in genere breviter memorare, quarum originem et propagationem ab atmosphaera pendere observatores praestantissimi docuerunt. Haec opinio cum saeculis, aetatibusque hominum inveteravit; attamen nec aperta nec perspicua est, ut non pro erranti et vaga, sed pro stabili certaque haberi possit. Namque aëris proprietates, quae in animantium corpora physiologice agunt, temperies nempe vel calida, aut frigida, vel sicca, aut humida, vel praeceps et repentinus ab una in aliam transitus (quae mutationes et per physices instrumenta metiuntur et percipiuntur sensi-

bus) ad phoenomenon explicandum non sufficiunt.

Sunt qui aliter sentientes morborum in vulgus saevientium causam in effluviis hominum valetudini infensis ab aëre aliunde advectis reponunt: hanc opinionem, si Febres intermittentes a paludosis emanationibus generatas excipias, nemo pro certa probataque adhuc vindicavit, nec posset, quin tot diversa venena nos circum obvolitantia, quot sunt exanthematicae pyrexiae, aliique morbi, qui epidemice grassantur, admitteret; ita ut et Parotides, quae paucis ab hinc annis totam Europam obivere, a nescio quo parotidaeo miasmate essent repetendae, quod, ni fallor, absurdum foret: quod etiamsi nonnemo concederet, mox in acriori quaestione, nempe de miasmatum agendi modo, versaretur; ad quam dirimendam et humani corporis physiologia apprime esset cognoscenda, et quae functionum laesiones in morbis obveniant, quaeve illae sint causae, quae hasce functiones perturbant, immutantque; et quare quidam morbi de repente generales et epidemici reddantur, et unde variationes, quas ab epidemica constitutione spo-

radicae aegrotationes mutuare solent, oriantur, dilucide esset sciendum.

Sed Scarlatinosum miasma, vel extrinsecus advectum per externam corporis superficiem absorbeatur, vel per respirationem toti arterioso systemati communicetur, vel sub datis aëris caeterarumque rerum cosmicarum, quae generali nec adhuc explorato influxu in omne quod vivit, et sentit, suam potestatem exercet, conditionibus (quod mage rationi consonum) erumpat, animalium corpora, ideoque per nervorum ministerium organorum secernentium intimam dispositionem ita subvertit, ut ex depravatis secretionibus morbificus quidam sui generis humor evolvatur, qui statim omnia pererrans ingentes et multifarias in animali oeconomia turbas ciet, copiosae assimilationi magis magisque in horas gliscenti fomitem suppeditat, et propriae naturae vi ad cutem tendit, quamvis cum summa aegri pernicie illam aliquando non afficiat; quod de Scarlatina et de Morbillis solummodo affirmari potest. Sunt enim aliae exanthematicae pyrexiae, quae, quin epidermidem maculent, per eam febrim, quae ideo exanthematica

nuncupata fuit, sua stadia percurrunt atque omnem rem absolvunt.

Nemo qui animalis machinae functiones tum in sano tum in morboso statu serio perpenderit, nihil humano in corpore non consentiens non conspirans non continuum, nihil non ita inter se connexum et conjunctum non fatebitur, ut singulae partes cum omnibus talem cognationem non habeant, quae, una affecta, caeteras in motum non trahat: in cutaneo praesertim involucro, quod toto corpore aequabiliter fusum ad interiora reflectitur, et viscerum superficiem vestit, hoc mirum opificium elucescit. Quam ob rem quaecumque sit scarlatinosi principii natura, quocumque e fonte originem ducat, haud mirum si ad epidermidem transgrediatur, ubi statim ac appulerit, novas induere formas, acriorem fieri, fervente illo immani aestu jugiter resorberi, et in animali oeconomia perturbanda totum esse, probabile videtur.

Paucis casibus exceptis, qui perquam gravissimi fuerunt mitis apud nos scarlatinae fuit indoles, quum omnia symptomata vel pyrexiam vel cephalalgiam vel anginam re-

spicias, levia extiterint. Sed quos gravissimos appellavi, hi reapse tales fuerunt, ut saeviores nequaquam unquam esse potuerint. Alii absque medicinae adjumento incolumes evadebant, alii irritis omnibus salutiferae scientiae conatibus, sub quacumque methodo ad ferociam morbi infringendam aeque impari, moriebantur: quod si nonnihil de tam abditis rebus conjectare liceret, ob parcius aut copiosius morbificae materiae per assimilationem augmentum, ut peculiaris uniuscujusque ferebat idyosincrasia, evenisse non absurdum est putare.

Et revera si morbifica materies quae pyrexias exanthematicas gignit, quanta in humano corpore elaborata fuerit, foras protrudatur, corpus ad pristinam valetudinem restituitur; si vero ea hujus deleterii humoris copia exsurgat quae tota nec eliminari, nec ab epidermide excipi possit, id quod residet, ita penitus omnium systematum et praesertim mucosi partes obumbrat, corripit, dilaniatque, ut vitale principium veluti obrutum resolvatur. Nec aliter res evenire potest, quum haec summopere irritans potentia aut tota ad superficiem efferri non pos-

sit, aut post absolutam visibilem eruptionem retrogradiatur, aeque interiora invadere ac per eosdem affectus homini cladem intentare debeat. Queis positis, si quis eos, qui periere, periisse diceret, quod omnis morbificae materiae colluvies extrinsecus despumare non potuisset, hypothesi indulsisse haud jure redargueretur: praesertim quum in cunctis casibus, qui in aegri perniciem desiere, reformidatus ille exanthematum retrocessus, qui tam frequens facilisque in Scarlatina esse solet, nunquam acciderit; immo illud aeque rubens et aeque confertum ad mortem usque permanserit; quasi tanta ejus copia confecta fuisset, ut, si quid refluum, quo exciperetur, loco caruisset.

Neque hîc silentio praetermittendum quam purpura illa parum contagiosa apparuerit, quum rarissime ab uno in alium transveheretur. Id nisi longo usu, et, ut ita dicam, diuturno cum aegrotantibus attritu non eveniebat, ut in adstantibus in ea quoque aetate constitutis, quam morbus communiter non appetebat, bis accidisse pro comperto habui: hi tamen levissime aegro-

tarunt, eam fortasse ob causam, quod miasma in corporibus ad id suscipiendum non dispositis vim suam exercere minus potuerit. Nec si aliqua in domo plures simul morbo perculsi fuerunt, quidquam meae detrahitur sententiae; nam haec aegritudo familias, quae pueris erant numerosiores, prae aliis adoriebatur, atque omnes qui aegrotare debebant, eodem fere momento pessumdabat; ut ex uno in alium sibi viam stravisse nemo suspicari potuisset. Nec cadavera ipsa ad contagium propagandum idonea visa sunt; nam saepe puerorum, qui hoc morbo decesserant, feretrum, vel ejusdem, vel supparis, tenellae certe aetatis turba circumfusum procedebat, quae plus justo curiosior inhumationi cominus intererat, quin aliquid detrimenti coepisset. Porro epidemia vigente difficile est pro certo statuere utrum contagiosa sit, nec ne; nam causae, quae tunc aegrotationes gignunt, quaquaversus patent, utpote quae generales sunt; nec malum a primo in alterum potius quam eodem e communi promptuario in omnes fluxisse pronum est affirmare. Sed quum opinionum commenta deleat dies, naturae judicia confir-

met, quae adhuc exponebam, luculentius per morborum historias liquebunt.

Historia I.

Stephanus Naracci, viginti annorum juvenis, biliosi temperamenti, nimis procero corpore constitutus decumbit cum febre, vomitu, exanthemate scarlatinoso in artubus tantum angina levis, lingua rosea albo muco per medium intersecta. Desunt rumor aurium, cephalaea, delirium, vel in soporem propensio; nulla corporis jactatio: aeque cubat et in dorsum et in latus: sanguis per hirudines ex jugularibus extrahitur. Emesis radice violae ipecacuanhae cietur; epipastica cruribus admoventur.

D. 2.ª Exanthema, quod in artubus vividius, ad pectus etiam extenditur, oculi levi rubore suffusi; febris moderata, et bonae notae pulsus; accedunt sudores vaporosi. Caput, fauces, lingua, respiratio, positus corporis, ut die elapsa. Purgatur tartrito acidulo potassiae.

D. 3.ª Lingua pallidior, et minus muco infecta; de angina vix ac ne vix quidem

queritur; caetera ut heri; deest sudor. Chlorus aqua dilutus per refractas doses propinatur; enema horis vespertinis.

D. 4.ª Nihil in lingua praeter naturam; quin immo humida, attamen sitis ingens. Nec capite nec faucibus dolet, urinae abundantes, limpidae. Caetera ut supra.

D. 5.ª Invisus aeger valde mane nihil novi praesefert, pulsus vix non omnino boni: adsidentes octava ante meridiem hora aliquid inconcinne effutisse affirmant. Interrogatus a Medico de iis quae dixerit, recte omnia meminit, seque somnum inter et vigiliam locutum esse subridens asserit. Quoad colorem exanthematis, quoad pulsus, linguam, fauces, respirationem, statum abdominis nil, quo redargui possit; mente valet, et recte respondet; nihilominus sinapismi applicantur plantis pedum. Post meridiem pane juri incocto alacriter vescitur, seque aliquid aliud sumpturum, si liceret, fatetur. Mox ingenti calore quaquaversus uri inclamat; delirat, indumenta poscit, e lecto prosilit; vehementissimis convulsionibus quatitur; sensus externi internique abolentur, pulsus parvi, subsidentes, celerrimi: diaphra-

gma validissime laborat; secunda a meridie hora supervenit mors, quin exanthemata vel hili dilutiora evadant. Vix vita functo oculi adeo turgentes conspiciuntur, ut fortasse ob anteactarum convulsionum vim, bulbi exorbita promineant. Ingens sanguinis copia per os et per rectum profunditur. Octava ab interitu hora cadaver in corruptionem abit.

Hunc prae omnibus, qui apud nos Scarlatinae casus extitere, nemo est qui singularissimum non appellet. Nec unus quidem a purpura interfectus tertiam diem integre absolvit; hic vero ad quintam usque tam benigne aegrotavit, ut de bono exitu nemo diffideret.

Historia II.

Maria Sciutalo puella sexennis qua nulla vel sanior vel formosior, vehementer febricitat. Apostaxis; pulsus molles, elati, frequentes; lingua rubra ut solet esse in Scarlatina; fauces bonae; exanthemata rosea, universalia; cutis leni sudore madida. Ita ab omni pharmaco abhorret, ut aquam ipsam, ne forte aliquod insit, pervicaciter

respuit; clysteribus etiam, quum primus alvum non cieret, qui per vim inditus statim effluxerat, parcitur; si quid externe applicari paratur, ita ira exardet, ut ab acri exagitatione, qua concutitur, plus damni, quam a medicamine utilitatis expectari possit. Mens interea perfecte viget.

D. 2.ª Omnia, ut die exacta; sed cutis calor mordacior, mage purpureus epidermidis color; dormienti palpebrae non commissae, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet.

D. 3.ª Secunda a meridie hora fit comatosa; hinc convulsionibus prehenditur; post solis occasum ad coelum evolat. Demortuae cuticula nigricat et cadit.

Hìc floridissima aetas; praestans corporis habitus, et nullis ab ortu ad illam usque diem aegrotationibus labefactata salus; hìc soli naturae tota res concredita, quae cum omnia haberet unde morbi impetum refringeret, nescio an suae medicatricis facultatis oblita, an potentiori miasmatis afflatu domita nihil omnino profecit.

Historia III.

Carolus Peter, puer sex annos natus, gracilioris temperamenti, vivacioris ingenii, repente capitis et faucium dolore, horripilatione, hinc febri horis vespertinis aggreditur.

D. 2.ª Exanthemata purpurea in facie tantum; delirium; caetera symptomata exasperantur.

D. 3.ª Perstat vigilia; inquietudo summa; obtutus admodum ferox; capitis, quod non sine ejulatibus saepe arripit, non intermissa agitatio.

D. 4.ª Hinc symptomatibus detentus, quin exanthemata, quae toto corpore sub epidermide subrubebant, evolverentur, comatosus et convulsus vivere desiit. In hoc puero et emetica, et purgantia, et diaphoretica et omne genus antephlogisticorum adhibita fuerunt. Hirudines et jugularibus et cervici admotae, nec silentio praetereundum fomenta frigida capiti applicata fuisse, totumque corpus eisdem saepius perfricatum; tandem et balnea tepida tentata, quae sola tam amplam ferocium symptomatum congeriem ita leniebant, ut et somnus, etsi bre-

vis, infelicissimo puero aliquando obreperet.

Historia IV.

Nicolaa Casilari puellula, quae secundum aetatis annum nondum exegerat, paulo post meridiem eodem momento et ardentissima febri et universali purpura corripitur.

D. 2.[a] Mente valet; jussa linguam exerit, quae vere lardacea apparet; spiritus teterrime foetet. Purgatur panxilla ex seminibus Riccini communis olei dosi, quae intra bihorium bis alvum promovet non sine quinque Ascaridum Lumbricoidum L. egestione; cibum odit, febris mitior. Tertia post meridiem hora paroxismus, vespere validissimae clonicae convulsiones et mors; ita ut inter perfectam salutem et interitum vix nycthaemerum intercesserit. Num vermes tam tenellae aetati frequenter infensi catastrophen morbi citius maturavere?

Historia V.

Maria Desulovich, virgo quindecim annorum, integrae valetudinis, nec adhuc ca-

tameniis praedita repente impotentis morbi vi sternitur. Horret, aestuat; exanthemata universalia atrorubentia; acatoposis; fauces subtumidae; pulsus grandiores, elati; cuticula urens; cephalaea; supponuntur clysteres.

D. 2.ª Advocatur Medicus. Totius corporis superficies singularem asperitatem, ariditatemque attactui objicit; calor vere igneus; oculi lucentes; angina adeo fauces angustans, ut nihil in ventriculum demitti possit; salivam, quam devorare nequit, per os reijcit; respiratio ut in cynanche stridula. Hirudines ad jugulares; epipastica ad nucam, ad crura; sinapismi ad pedes; clysteres irritantes.

D. 3.ª Anaestesia apopletica; convulsiones, stertor, et quinquagesima prima a morbi invasione hora, mors; die sequenti tota epidermis dilabitur.

Historia VI.

Scarlatina in Levi Mandolfo familiam in qua XI. nati, quorum nullus viginti annorum major, irrumpit: tres eodem pene die morbo afficiuntur; duo juniores leviter aegro-

tant, et cito convalescunt. Moses aetate prior, quartum supra decimum annum agens, succi plenus febricitat cum pulsu duro, elato; exanthemata toto corpore fusa, violacea; cynanche gravis; respiratio anhelosa: tartrito lisciviae stibiato per superiora purgatur.

D. 2.ª Febris gravior; pulsus fortes, pleni, elati, duri, frequentes. Mens turbatur; alvus mollitur manna; per venae brachii sectionem sanguinis decem unciae extrahuntur, qui omni crusta inflammatoria caret. Post meridiem in soporem vergit, cubat supine; vesicatoria ad crura; sinapismi ad pedes; febris non levatur, sed aeque concitata continuat.

D. 3.ª Fauces prorsus constrictae; ortopnaea; iterum phlebotomia e brachio unciarum decem; sanguis extractus, ut externa die, sine ullo corii indicio. Decem hirudines circa collum et jugulum, cruor quaquaversus fluit; post solis occasum angone et mors.

Relatae historiae apprime consonant cum quadam epidemica Scarlatinae constitutione olim in Galliis visa, de qua Swietenius me-

minit in Tractatu exanthematum febrilium. Sic ille ,, In Galliae quodam loco Purpu-
,, ra morbus grassabatur, quo bidui vel
,, ad summum tridui spatio moriebantur ho-
,, mines; illis vero, qui tetro hoc morbo
,, evadebant, tota fere cadebat cutis. Tan-
,, ta erat cadaverum hoc morbo defuncto-
,, rum corruptio, ut nemo illa dissecare au-
,, deret. ,,

Si harum quinta et sexta historiarum inter se conferantur, apparebit in pari aetate ac corporis habitu parem fuisse symptomatum cohortem et morbi vim, dissimilem curationis methodum et aeque funestum exitum; ut nec qui phlebotomiae pepercerit, nec qui sanguinem profuderit, aliquid profecisset. Ecquis, cunctis ad trutinam exactis (si per symptomata tantum judicare debuisset) de hyperstenia dubitavisset? Hinc, ni fallor, clare eruitur quam arduum sit in pyrexiis exanthematicis de neotericorum diathesis natura recte dijudicare, et quam plenum opus aleae generali qualibet inniti theoria, ubi ab etherogeneo principio, cujus actio nobis prorsus ignota, vel aliunde invecto vel in corpore morbosi evoluto totum

nervosum systema corripiente, aegrotatio repetenda videtur.

Ex hisce perpaucis casibus ingens per civitatem tunc temporis diffusus terror, qui ita percrebuerat, ut moestissimi parentes tam immani morbo nihil remedii esse pro certo haberent. Quo factum est, ut in Aula Civilis Nosocomii, omnes quot erant, Medici in consilium coirent ad aliquid novi et adhuc intentati parandum, quo tutius huic pesti obviam iri posset. Tunc ipse arteriae temporalis resectionem proposui, ubi vix vel minima in soporem propensio inceperit, quae sententia omnibus arrisit. Sed imposterum, Deo favente, occasio hoc periculum faciundi defuit.

Historia VII.

Georgius Vuscovich sex de quinquaginta annorum vir, juvenculo scarlatina affecto continue adsidebat, eique nocte dieque ministrabat; demortuum sudore manans et nudato capite, dum Notus violenter flaret, ad Coemeterium prosequitur. Tertio a tumulatione die vagis horripilationibus aggreditur:

de anorexia, dolore capitis, virium prostratione et morboso calore queritur; fauces sicciores asperioresque se habere dicit, brachia nonnihil ruboris praeseferunt; incaute cathartico purgatur, quod duodeviginti evacuationes per inferiora, etsi non profusas, ciet.

Octavo a morbi ingressu die advocatur Medicus: lingua, ut semper in morbo de quo agitur; fauces vix tument; diceres, si brachia oblique inspiciantur, aliquid rubere; pulsus parvi, frequentes et quasi filiformes; debilitas summa; jacet in dorsum. Vinum Cyprium bis in hora ad cochlearis mensuram per totam diem sumendum praescribitur. Paullatim color exanthematum in artubus superioribus fit vividior; vires musculares eriguntur; pulsus evolutiores; hinc thorax etiam purpura, quamvis dilutiori, conspergitur; lingua detersa et pallida, epidermis madida. Eupepto cibo et meraciori vino pedetentim reficitur. Vigesima prima a morbi invasione die fit apyretos. Post analepsim ultra duos menses protractam adhuc debilis virium e domo prorepit.

Historia VIII.

Johanna Pripisalich quadraginta annorum major post filium, quem aegrotantem proprio lectulo fovebat, sibi scarlatina praereptum in eam illabitur, cujus in limine catamenia praesto sunt. Morbus tam benignus evasit, ut Medicus ab agendo se constanter abstinuerit. Quam debilis hujus morbi vis fuerit, quum per contagem fluxisset, septima et octava historia docet.

Historia IX.

Margarita Barich puella octennis omni ex parte sana, et laudabili temperamento praedita inter primos, qui in scarlatinam inciderant, morbo tacta, ut ita dicam, non perculsa per cubiculum deambulabat; foris tamen adhuc non prodierat; quum forte fortunâ accidit, ut clam parentibus paullulum nivis colligendae cupiditate exiret; subsequenti nocte febricitat. Exoriente die vultus subtumidus, miro corpus pallore infectum, pulsus parvi, celeres, frequentes; calor naturalis. Interea se corde dolere queritur, et

revera ita exacte locum doloris indigitat, ut de vera ejus sede minime ambigi possit. Absque ulla mora perfricationes per totum corpus instituuntur; artus inferiores vesicatoriis, plantae pedum sinapismis tentantur. Pharmaca, queis cutaneum organum ad majorem actionem excitetur, in spem vocantur: nihil cum levamine! Pulsus post meridiem et parviores et celeriores; sinistrae thoracis parti arcté manu adacta tremor quidam in motu systaltico animadvertitur; ipsa interea erecta trunco et prae dolore immobilis miserrime ejulat. Adventante vespere dolor imminuitur, et brevi funditus evanescit; tunc pulsus naturales; in coma propendet; mens gradatim obtenebratur; pulsus fiunt tardi, grandiores, elati: apoplexia; supervenit stertor, et sub prima luce mors.

Historia X.

Franciscus Fontana puer novem annos natus a Scarlatina convaluerat, et a duabus ab inde hebdomadis se bene habebat. Adaperta noctu fenestra brevi horae momento frigidioris aëris afflatu transadigitur. Et dor-

mitum; per totam noctem agrypnia et cephalaea laborat; sub auroram vani ad vomitum conatus; pulsus boni; starnutatio frequens; de catarrhali affectione nonnemo nugatur, purgans medicina porrigitur; tendinum subsultus; ex hinc artuum inferiorum clonicae convulsiones; trismus et ortopnaea in scenam prodeunt; instante meridie praefocatio, et mors.

Saepe mecum animo perpendebam num exanthematum a cute ad interiora regressus, qui semper pro malo et crebro pro letali etiam signo habetur morbosae exasperationis effectus potius sit quam causa, ideoque num nihil praeter unum extremorum fatiscentis naturae symptomatum ab universali morbi temperatione dependens esse possit. Atque ut in hac consideratione aliquantulum immorarer suadebat fonticulorum et cronicarum ulcerum exsiccatio, quae aegros magno in periculo versari praemonstrat, non quod morbificus humor, qui per illa cutanei organi emunctoria excernebatur, ad nobiliora viscera reflectitur; sed quod deficiente vi vitae, et resoluta nervosi systematis excitabilitate extima etiam corporis pars suis fungi

muniis impar redditur. Sed quum per exanthematici humoris expulsionem naturam a noxia quadam substantia exonerari levarique re ipsa probetur, quum aegrotantes confecta eruptione bene se habeant, et denuo in symptomatum exasperationem extremamque perniciem incidant, si ipsa evanescat; quumque praedictae expulsionum et regressionum exanthematûm vicissitudines aliquando repetite in eodem aegro accidant, num de vera Methastasi inficiari liceat haud pro certo habui. Quod cutaneum opus si in omnibus exanthematicis pyrexiis et in quibusdam etiam aliis affectionibus, quae commune involucrum obsident, quocumque modo perturbatum vitam in discrimen adducit, in Scarlatina certé adeo periculosum est, ut et desquamata jam absolute epidermide, adhuc perduret et vigeat, quandoquidem et leve frigus corpori appulsum Medicorum spem fallat, et infirmos, qui in portu votivas tabulas appendebant, rursus in altum propellat, et non raro submergat. Ex quibus morbificam materiam haud totam per visibilem eruptionem, sed lente per aliam insensibilem et diuturnam difflari, putandum est.

Fortasse nonnemo sciscitabitur cui formae febris haec Purpura conjuncta incesserit; nam et clari nominis Observatores illam nunc nervosae, nunc gastricae, nunc inflammatoriae copulari affirmaverunt, ac si ad omnimodas differentias constituendas illae ipsae causae, quae dum eadem sub coeli temperie, eadem in regione, eodemque anni tempore epidemice excurrit, sub iisdem rerum conditionibus facilem in his, in illis graviorem, in nonnullis letalem morbum efficiant, non sufficerent, praesertim quum ea symptomata, quae a diverso concomitantis febris charactere repetuntur, a diversa potius functionum, quae humano in corpore aguntur, alterationis qualitate et gradu, nec non a peculiari corporum dynamia deducenda videantur. Haec fortasse in dubium revocari possent, si vel semel aliquid in scarlatina observatum fuisset, quod nos de legitima periodo vel de intermittentia monuisset.

Notandum hanc Scarlatinam nunquam cynanchico-gangraenosam evasisse.

Non semel parotides aut glandulae maxillares in iis, qui a morbo liberati fuerunt, intumuere, nec, nisi post longum tempus,

ad pristinum statum redibant, quin unquam in suppurationem abirent.

Sunt, qui de Chloro tam magna tamque praeclara praedicant ut nullam Febris Scarlatinae adeo malignam indolem esse posse affirment, cui edomandae ipse non sufficiat; ita ut, qui hisce laudibus fidem praestaret, tanta Chlorum in hoc genere morbi pollere virtute, quanta Cortex peruvianus in periodicis, procul dubio crederet. Qua auctoritate permotus ipse pluries hoc pharmacum nuper expertus sum. Sed quum nunquam voto responderit, rem exitu, mihi saltem, probatam non fuisse ultro fateor.

Is purpurae, de qua sermo, incessus fuit ut ab exitu mensis Novemb. MDCCCXXII usque ad decimum tertium Kal. Novemb. subsequentis anni viginti duo in urbe Ragusio morerentur. Tunc temporis morbus prorsum desiisse videbatur: quum post quatuor menses extemplo renatus, uno tantum correpto, Idibus Martiis illum ad plures migrare coëgit, ita ut Ragusina in Civitate et Suburbiis inter sex millia viventium viginti tres, sexdecim mensium spatio, praerepti fuerint, quorum partem et fortasse non ultimam,

quae infantium fuit, a mulierculis anginae opitulantibus interfectam fuisse probabile est. Nam anginam localem funditus affectionem esse a tonsillarum tumore pendentem, cui pressio medeatur, in vulgo opinio viget; ideo index melle oblinitus, et piperis nigri pulvere conspersus faucibus impingitur; quo fit ut eae, aucta inflammatione, in tam tenella aetate adeo coarctentur, ut brevi spiritum praecludant.

FINIS.

Die 10. *Junii* 1829.

VIDIT

Pro Eminentissimo, et Reverendissimo DD.

CAROLO CARD. OPPIZZONIO

Bononiæ Archiep.

Joan. Bapt. Bruni Doct. Coll. Philol. et Professor.

Die 11. *Junii* 1829.

VIDIT

Pro Excelso Gubernio

Dominicus Mandini S. T. D. Coll. Prior Parochus et Exam. Synod.

Die 12. *Junii* 1829.

IMPRIMATUR

Leopoldus Archip. Pagani Provic. Gen.